

Impossibile erat teneri illum a morte.

Léctio Actuum Apostolorum

2, 14. 22b-33

In die Pentecóstes,
¹⁴ stans Petrus cum Undecim
levávit vocem suam et locútus est eis:
«Viri Iudæi et qui habitátis Ierúsalem univérsi,
hoc vobis notum sit,
et áuribus percípíte verba mea.

[15-22a]

^{22b} Iesum Nazarénum,
virum approbátum a Deo apud vos
virtútibus et prodígiis et signis,
quæ fecit per illum Deus in médio vestri,
sicut ipsi scitis,
²³ hunc definíto consílio et præsciéntia Dei
tráditum per manum iniquórum affigéntes interemístis,
²⁴ quem Deus suscitávit,
solútis dolóribus mortis,
iuxta quod impossíbile erat tenéri illum ab ea.
²⁵ David enim dicit circa eum:
“Providébam Dóminum coram me semper,
quóniam a dextris meis est, ne commóvear.
²⁶ Propter hoc lætátum est cor meum,
et exsultávit lingua mea;
ínsuper et caro mea requiéscet in spe.
²⁷ Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno
neque dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem.
²⁸ Notas fecísti mihi vias vitæ,
replébis me iucunditáte cum fácie tua”.
²⁹ Viri fratres,
líceat audénter dícere ad vos de patriárcha David,
quóniam et defúnctus est et sepúltus est,

et sepúlcrum eius est apud nos
usque in hodiérnum diem;

³⁰ prophéta ígitur cum esset
et sciret quia iure iurándo iurásset illi Deus
de fructu lumbi eius sedére super sedem eius,
³¹ próvidens locútus est de resurrectióne Christi,
quia neque derelíctus est in inférno,
neque caro eius vidit corruptiόνem.

³² Hunc Iesum resuscitávit Deus,
cuius omnes nos testes sumus.

³³ Déxtera ígitur Dei exaltátus,
et promissióne Spíritus Sancti accépta a Patre,
effúdit hunc, quem vos vidétis et audítis».

Verbum Dómini.